AD ORATIONEM

IN

LUDOVICI

MAGNI DUCIS HASSIÆ ET AD RHENUM

ET

LUDOVICÆ CAROLINÆ HENRICÆ

PRINCIPUM CLEMENTISSIMORUM

SOLEMNIBUS NUPTIALIBUS SEMISÆCULARIBUS

D. XIX. M. FEBR. CIↃIↃCCCXXVII

RITE OBEUNDIS

HORA UNDECIMA IN AULA PUBLICA AUDIENDAM

INVITAT

ACADEMIÆ LUDOVICIANÆ

RECTOR CUM SENATU.

INEST F. OSANNI P. P. O. DE CŒLIBUM APUD VETERES POPULOS CONDITIONE COMMENTATIO I.

GISSÆ

TYPIS GEORGII FRIDERICI HEYERI.

Adulescentulo cuidam, utrum uxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret, interroganti Socrates respondisse dicitur, utrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam. Hic te, inquit, solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic hæres alienus excipiet: illic perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium grave supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus.[1] Etiam gravius aliud eiusdem Socratis dictum, qui *ἐρωτηθεὶς, τίνες μεταμέλονται τῶν ἀνθρώπων, εἶπεν, οἱ γήμαντες.*[2] Cui Socratis sententiæ congruum est illud veluti e tripode dictum Susarionis:

Ἀκούετε, λεώς· Σουσαρίων λέγει τάδε,
υἱὸς Φιλίνου Μεγαρόθεν Τριποδίσκιος.
Κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως, ὦ δημόται,
οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ·
καὶ γὰρ τὸ γῆμαι, καὶ τὸ μὴ γῆμαι κακόν.[3]

Quæ quamquam ex vulgi opinione dicta videantur, tamen tantum abest ut existimandum sit, item veterum sensisse sapientiores, ut plebeculæ sic placuisse dicamus, quæ ut proxima quæ-

1 Sunt fere verba Valerii Maximi VII, 2, extern. 1, in quibus non est quod in voce *subsessor* hæreamus: tu enim confer ad illa Arnobii *subsessoris et adulteri persona* egregias Elmenhorstii Observationes p. 138.

2 Stob. Serm. CLXXXVII. p. 641. ed. Francof. a. 1581.

3 Sic hoc fragmentum restituit Bentleius Diss. Phalar. p. 109. ed. Lennep. Primo versu nuper Burgessius in Seebodii Misc. crit. I, 1. p. 10. *ἀκούετ' ὦ λεώς* legendum suadebat. Quarto Chardon de la Rochette *Melanges de critique et de philologie*, T. I. p. 110., Suidæ auctoritatem secutus, malebat *εὑρεῖν οἰκίαν*, cui recte, ut videtur, Frid. Iacobsius, ni fallor, opposuit in Ephem. litt. Ien. 1818. No. 152. p. 228: „Das Ganze ist sprüchwörtlich gefafst, weshalb wir *οἰκεῖν οἰκίαν* vorziehen: denn so spielt die Sprache des gewöhnlichen Lebens in gleichnamigen Begriffen.“ Hinc Euripides Phœn. 1246: *οἶκον οἰκήσω μόνος.* Addo, lectionem a Suida commendatam *εὑρεῖν* pro *οἰκεῖν* minus ad scripturam *οἰκίαν* videri pertinuisse quam potius ad aliam apud Diomedem Gramm. III. p. 487. servatam *οὐσίαν*, ubi vulgata cum duobus codicibus Parisiis a me inspectis *εὑρεῖν οὐσίαν.* Illud denique *οἰκεῖν οἰκίαν* Susarionis etiam Codice Barocc. Diomedis in Dionysium Thracem commentarii firmatur: v. Gaisford. ad Procli Chrest. p. 410.

que tantum spectat, ita remotiora negligit, neque ad altiora assurgit. Et Socrati illa tribui, parum refert, quum ex Platone constet, matrimonii contemptorem eum non modo non fuisse, sed suasorem strenuum: ita ut si adulescentulo illa revera respondit, vulgi potius opinionem quam suam secutus esse videatur. Contra tam apud Græcos quam apud Romanos coniugium summo semper honore habitum esse, luculenter testantur et instituta horum populorum politica et quæ ex vivendi ratione singulorum hominum domestica memoriæ prodita sunt. Recte enim intellexerunt veterum legum latores, ad civitatem constituendam homines ipsorum natura trahi[4], eius autem salutem cum in aliis institutis, tum etiam in connubio lege inter marem et feminam faciendo quærendam esse. Quare nil mirum, ab iis quibus rerum publicarum status sciscendis novis legibus et institutis et firmandi et emendandi cura demandata esset, matrimonii sanctitatem non solum lege commendatam, sed cives ad nuptias ineundas quasi iussos et invitatos fuisse.[5] Illorum ex numero Lycurgus et Solo primo loco nominandi sunt, de quorum institutis infra explanabitur. Neque aliter hac de re senserunt summi philosophorum facile principes, Plato et Aristoteles. Horum ille, quum in civitate, cuius imaginem in Politia descripsit, locum matrimonio dari eam ob caussam negasset, quod bonorum in ea nihil reperiri deberet, quod non omnium civium commune esset,[6] in altera civitate instituenda, quam in libris de Legibus adumbravit, connubia singulorum non modo non excludenda duxit, sed, ut consentaneum erat reliquis eius civitatis institutis, ad ea ineunda quam maxime incitavit, et actione contra eos instituta, qui vitam solitariam coniugali anteferrent, ætatem maribus et feminis præfinivit, quæ ad matrimonia recte exsequenda optima esset. Sic enim: *ἂν δ' ἄρα τις*, inquit, *μὴ πείθηται ἑκών, ἀλλότριον δὲ αὑτὸν καὶ ἀκοινώνητον ἐν τῇ πόλει ἔχῃ καὶ ἄγαμος ὢν γένηται πεντεκαιτριακοντούτης, ζημιούσθω κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον, ὁ μέγιστον μὲν τίμημα κεκτημένος ἑκατὸν δραχμαῖς, ὁ δὲ τὸ δεύτερον ἑβδομήκοντα, τρίτον δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τὸ τέταρτον τριάκοντα· τοῦτο δ' ἔστω τῆς Ἥρας ἱερόν.*[7] *ὁ δὲ μὴ ἐκτίνων κατ' ἐνιαυτὸν δεκαπλάσιον ὀφειλέτω. πραττέσθω δὲ ὁ ταμίας τῆς θεοῦ, μὴ ἐκπράξας δὲ αὐτὸς ὀφειλέτω καὶ ἐν ταῖς τοῦ τοιούτου λόγου ὑπεχέτω πᾶς. εἰς μὲν οὖν χρήματα ὁ μὴ θέλων γαμεῖν ταῦτα ζημιούσθω, τιμῆς δὲ*

4 Homo, ait Aristoteles Polit. I, 1, 9 et III, 4, 2 est *φύσει πολιτικὸν ζῶον.* Cf. Cic. de rep. 1, 25 et Antipater Stobæi Serm. CLXXXVI. p. 637. ed. Francof. a. 1581.

5 Plato de legg. IV. p. 721. Steph. *Γαμικοὶ δὴ νόμοι πρῶτοι κινδυνεύουσι τιθέμενοι καλῶς ἂν τίθεσθαι πρὸς ὀρθότητα πάσῃ πόλει.* Plutarch. Amator. p. 759. B: *Αἴσχιστα δὲ καλεῖς γάμον καὶ σύνοδον ἀνδρὸς καὶ γυναικός, ἧς οὐ γέγονεν οὐδ' ἔστιν ἱερωτέρα κατάζευξις. Ἀλλὰ ταῖτα μὲν ἀναγκαῖα πρὸς γένεσιν ὄντα σεμνύουσιν οὐ φαύλως οἱ νομοθέται καὶ κατευλογοῦσι πρὸς τοὺς πολλούς.*

6 Hinc lata illa Platonis mira, nec tamen ab institutis civitatis a se condendæ abhorrens lex de communione mulierum, de qua vide V. p. 457.

7 Nempe Iovis, (vide Platonem paullo infra) et Iunonis, ut matrimonii præsidum: v. Buttigeri Ilithyiam p. 12. Hinc explica Plauti Amph. II, 2, 201. 202.

παρὰ τῶν νεωτέρων ἄτιμος πάσης ἔστω, καὶ μηδεὶς ὑπακουέτω μηδὲν αὐτῷ ἑκὼν τῶν νέων· ἐὰν δὲ κολάζειν τινὰ ἐπιχειρῇ, πᾶς τῷ ἀδικουμένῳ βοηθείτω καὶ ἀμυνέτω, μὴ βοηθῶν δὲ ὁ παραγενόμενος δειλός τε ἅμα καὶ κακὸς ὑπὸ τοῦ νόμου πολίτης εἶναι λεγέσθω.[8] Alter philosophorum, quos dixi, certas pœnas, quibus cœlibatus mos coerceretur, in libris Politicis haud quidem constituit: sed quod in refutanda Platonis de instituenda communione mulierum sententia tantam operam licet paullo iniquius collocavit,[9] hac de re quid senserit, aperte declarat: porro idem multus est non solum in commendanda sed adeo imperanda iusta viri et feminæ societate facienda, quæ non in tempus, sed per omnem eorum vitam fiat, ἵνα συγκαταβαίνωσι ταῖς ἡλικίαις ἐπὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν, καὶ μὴ διαφωνῶσιν, αἱ δυνάμεις, τοῦ μὲν ἔτι δυναμένου γεννᾶν, τῆς δὲ μὴ δυναμένης, ἢ ταύτης μὲν, τοῦ δ' ἀνδρὸς μή· ταῦτα γὰρ ποιεῖ καὶ στάσεις πρὸς ἀλλήλους καὶ διαφοράς.[10] Civitas enim ex mente Aristotelis[11] quum ex familiis componatur, quarum partes comprehendantur cum heri et servi conditione, tum mariti et uxoris societate (πόσις καὶ ἄλοχος), apparet cœlibatui nullum plane locum dari potuisse in civitate recte condita.

De aliorum philosophorum hac de re placitis ut nihil dicam, quum et natura ipsa ad nuptias iustas homines invitaret, civitatumque salus a familiis recte et iuste conditis petenda esset, leges hanc in rem scriptæ sunt, quibus quum ad connubia homines vi compelli non possent, matrimoniorum sanctitas ita commendaretur, ut qui ea sperneret, civitate se quasi ipse privaret; quibus institutis etsi cœlibatus usus e civitate plane tolli haud quaquam poterat, tamen factum ut magnopere cohiberetur, adeoque, si nostra tempora comparaveris, pauci invenirentur, qui dum cælibes essent, cœlites se putarent.[12] De his veterum populorum maxime Græcorum institutis nunc quæsiturus, hac in Commentatione prima de Spartanorum et Atheniensium legibus et moribus dicam, de reliquis alio tempore expositurus.

Ac primum quidem de Spartanorum institutis agimus, apud quos ut constat leges paullo severiores in usu fuisse, ita consentaneum est conditione admodum dura cœlibes habitos esse. Etenim civitatis salutem in iusta prolis procreatione[13] eiusque educatione recte instituenda

8 De legg. VI. p. 774 collato IV. p. 721. Adde locum Clementis Alex. Strom. II. p. 423. A. ed. Sylb.: ὁ δὲ γενναῖος Πλάτων καὶ τροφὴν γυναικὸς ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον κελεύει τὸν μὴ γήμαντα, καὶ τὰς καθηκούσας δαπάνας ἀποδιδόναι τοῖς ἄρχουσιν· εἰ γὰρ μὴ γήμαντες οὐ παιδοποιήσονται, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀνδρῶν σπάνιν ποιήσουσι, καὶ καταλύσουσι τάς τε πόλεις καὶ τὸν κόσμον τὸν ἐκ τούτων, Quæ verba ex illo de legibus loco desumpta videntur: alium certe, quo referri possent, ego apud Platonem frustra quæsivi.

9 Polit. II, init. Cf. Pinzgeri Comm. de iis quæ Aristoteles in Platonis Politia reprehendit, p. 27.

10 Polit. VII, 14.

11 Pol. I, 3. Similiter Hierocles libro de nuptiis apud Stob. Serm. CLXXXVI. p. 634, 11. πρώτη δὲ καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ κατὰ γάμον. οὔτε γὰρ πόλεις ἂν ἦσαν, μὴ ὄντων οἴκων· οἶκός τε ἡμιτελὴς μὲν τῷ ὄντι ὁ τοῦ ἀγάμου· τέλειος δὲ καὶ πλήρης ὁ τοῦ γεγαμηκότος.

12 V. ad Apuleium Grammaticum p. 135.

13 De Lycurgo Xenophon de rep. Lac. 1, 4: ταῖς δ' ἐλευθέραις, inquit, μέγιστον νομίσας εἶναι τὴν τεκνοποιΐαν, πρῶτον μὲν σωμασκεῖν ἔταξεν οὐδὲν ἧττον τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος φύλου· ἔπειτα δὲ δρόμου καὶ ἰσχύ-

potissimum quærendam esse, Lycurgus quum probe perspexisset, ad legis latoris munus in primis pertinere arbitrans, ut matrimoniorum sanctitatem legibus atque institutis non solum conservaret, [14] verum etiam connubiorum caritatem civibus insinuaret, primo ad coniugia appetenda incitamentis quibusdam quasi invitavit: [15] deinde in eos, qui uxoris legitimæ consortio solitariam vitam anteferrent, ita animadvertendum constituit, ut ii vel publica ignominia (*ἀτιμία*) afficerentur; cuius pœnæ gravitatem ex iis æstimare licet, quæ de Atheniensium *ἀτιμία* (si modo Spartanorum instituta cum Atticis hoc saltim in loco comparari fas est) abunde constant. [16] Prætera eiusmodi homunculos sancitis etiam aliis flagitii notis inurendos præcepit, de quibus Plutarchum audiamus ita narrantem: [17] *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀτιμίαν τινὰ προσέθηκε τοῖς ἀγάμοις. εἴργοντο γὰρ ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις τῆς θέας. τοῦ δὲ χειμῶνος οἱ μὲν ἄρχοντες αὐτοὺς ἐκέλευον ἐν κύκλῳ γυμνοὺς περιϊέναι τὴν ἀγοράν, οἱ δὲ περιϊόντες ᾖδον εἰς αὐτοὺς ᾠδήν τινα πεποιημένην, ὡς δίκαια πάσχοιεν, ὅτι τοῖς νόμοις ἀπειθοῦσι.* [18] *τιμῆς δὲ καὶ θεραπείας,* [19] *ἣν νέοι πρεσβυτέροις παρεῖχον, ἐστέροντο. ὅθεν καὶ τὸ πρὸς Δερκυλλίδαν ῥηθὲν οὐδεὶς ἐμέμψατο, καίπερ εὐδόκιμον ὄντα στρατηγόν. ἐπιόντι γὰρ τῶν νεωτέρων τις τῆς ἕδρας οὐχ ὑπεῖξεν αὐτῷ, εἰπών· Οὐδὲ γὰρ ἐμοὶ σὺ τὸν ὑπείξοντα γεγέννηκας.* [20] Ut statim de Dercyllida inclyto Lacedæmoniorum duce dicam, Plutarchus haud accurate agere videtur, quum de cœlibum conditione disserens, Dercyllidæ mentionem facit: si enim quæ de ignominia cœlibum publica traduntur, vera sunt, ex *ἀγάμων* numero clarissimum imperatorem fuisse vix credibile est. Recte enim Clemens Alexandrinus: [21] *οἵ τε νομοθέται*, ait, *οὐκ ἐπιτρέπουσι τὰς μεγίστας ἀρχὰς τοῖς μὴ γαμήσασι μεος, ὥσπερ καὶ τοῖς ἀνδράσιν, οὕτω καὶ ταῖς θηλείαις ἀγῶνας πρὸς ἀλλήλας ἐποίησε, νομίζων ἐξ ἀμφοτέρων καὶ τὰ ἔκγονα ἐῤῥωμενέστερα γίγνεσθαι.*

14 Plutarch. Lyc. 14.: *Τῆς δὲ παιδείας, ἣν μέγιστον ἡγεῖτο τοῦ νομοθέτου καὶ κάλλιστον ἔργον εἶναι, πόῤῥωθεν ἀρχόμενος, εὐθὺς ἐπεσκόπει τὰ περὶ τοὺς γάμους καὶ τὰς γενέσεις.*

15 Ibidem 15: *Ἦν μὲν οὖν καὶ ταῦτα παρορμητικὰ πρὸς γάμον· λέγω δὲ* [an *δὴ*?] *τὰς πομπὰς τῶν παρθένων, καὶ τὰς ἀποδύσεις, ἀγομένων οὐ γεωμετρικαῖς, ἀλλ' ἐρωτικαῖς, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, ἀνάγκαις.* Platonis locus exstat de rep. V, 7. p. 458. Steph.

16 De Spartanorum *ἀτιμίᾳ* adeas O. Müllerum Hellen. Gesch. T. III. p. 223.

17 Lyc. 15.

18 Hæsit hoc loco Reiskius, pro *περιϊέναι* scilicet *περιστῆναι* legendum præcipiens, quod verba *οἱ δὲ περιϊόντες* et sequentia de maritatis intelligeret, quippe qui cœlibes in foro circumcursantes versibus ludicris in ipsos compositis palam iugulassent. Neque aliter locum Huttenius accepisse videtur. Sed ut iam patet eos qui *περιϊέναι τὴν ἀγοράν* dicantur, vix posse diversos esse ab iis, qui statim *οἱ περιϊόντες* appellentur: ita ad confirmandam contrariam sententiam cum fructu adhibebitur eadem alii delicto apud Lacedæmonios præscripta pœna, de qua idem Plutarchus Instit. Lacon. p. 237 Frc. (Vol. VI. p. 882 ed. Reisk.) *Εἴ τις φωραθείη ἁμαρτάνων, ἔδει τοῦτον βωμόν τινα τῶν ἐν τῇ πόλει κύκλῳ περιϊέναι, ψόγον ᾄδοντα πεποιημένον εἰς ἑαυτόν· ὅπερ ἦν οὐδὲν ἕτερον, ἢ ἐπιπλήττειν αὐτὸν ἑαυτῷ.*

19 In Huttenii editione vulgatur *θεραπείαις*, haud scio an non errore operarum.

20 Eadem quamvis concisiora referuntur ab eodem scriptore in Lacon. apophth. p. 227 (p. 849. ed. Reisk.)

21 Strom. II. p. 422. D. Sylb.

τεῖναι. Immo Dercyllidam, quod liberis a se procreatis non gauderet, putaverim a Spartano illo vituperatum esse. Et constat apud omnes, quanto honore Spartæ parentes ii habiti sint, qui prolem et robustam quidem procreaverint, [22] dum contra uxores, quæ partum nunquam edidissent, pessima conditione uterentur.

Sed ad pœnas illas cœlibibus a Lacedæmoniis constitutas redeamus. Primum a spectaculo *γυμνοπαιδιᾶς,* festi Apollini Carneo splendidissimis nudorum puerorum puellarumque choris et ludis novem per dies quotannis celebrati, coercebantur: et recte quidem, nec latente caussa. Sed non omittendus hac in re Hesychius, cuius reperitur glossa, quæ an cœlibes ignominiæ illi revera obnoxii fuerint, dubium faciat. Sic enim ille: *Καρνεᾶται· οἱ ἄγαμοι. κεκληρωμένοι δὲ ἐπὶ τὴν τοῦ Καρνείου λειτουργίαν. πέντε δὲ ἀφ᾽ ἑκάστης ἐπὶ τετραετίαν ἐλειτούργουν,* ubi ad *ἑκάστης* H. Stephanus suplendum putat *φυλῆς.* Nempe quos Plutarchus a puerorum ludo spectando exclusos esse dicit, eos Hesychius in iisdem festis munera præstitisse narrat: quod sententiarum discrimen quomodo componi posse videatur, infra dicam. Durior altera illa pœna, qua cœlibes in foro et tempore quidem hiberno obambulantes iuberentur versus ludicros in pravos ipsorum mores compositos ipsi recitare, seque hoc modo ludibrio palam ipsos exhibere. Sed audiamus Clearchum in opere de proverbiis hodie deperdito nova alia hac de re monentem: [23] *Ἐν Λακεδαίμονι τοὺς ἀγάμους αἱ γυναῖκες ἐν ἑορτῇ τινι περὶ τὸν βωμὸν ἕλκουσαι ῥαπίζουσιν, ἵνα τὴν ἐκ τοῦ πράγματος ὕβριν φεύγοντες, φιλοστοργῶσί τε καὶ ἐν ὥρᾳ προσίωσι τοῖς γάμοις.* Quæ vexatio cœlibum circa aram et certo quodam festo agitata non potest diversa fuisse ab altera illa Plutarcho memorata. Liquet igitur nunc de festo, quod quale fuerit cum Meursio Schweighæuserus ad Athenæi l. l. ignorabat. Rem ita habuisse arbitror. Arcebantur quidem cœlibes a spectaculo *γυμνοπαιδιᾶς,* quippe qui ludus uno Carneorum die celebraretur, dum in reliquis octo eorundem solemnium diebus non solum admitterentur, sed partim sumptus præberent (*ἐλειτούργουν*), partim certo quodam, ut videtur, festorum die palam in foro deriderentur. In quibus tamen unum est quod cum hac sententia pugnare videtur, hieme, ut Plutarchus ait, cœlibes pœnas dedisse, quum Carnius mensis, quo Carnea habebantur, Atheniensium Metagitnioni congruus, [24] non in hiemem, sed in auctumnum potius ineuntem incidat. Quam discrepantiam alio haud scio modo nostra cum re conciliare, quam ut illa *τοῦ δὲ χειμῶνος* Plutarchum de suo adiecisse suspicer, quippe quibus pœnam cœlibum rigida hiemis tempestate denudandorum acui crederet.

22 In mentem revocare satis videbitur ius trium quatuorque liberorum apud Spartanos a Lycurgo iam institutum, de quo vide Aristot. Pol. II, 6. ed. Göttl. Ex hoc privilegio formula illa honoris de feminis prædicata *τέκνων δίκαιον ἔχουσα* explicanda nunc erit, quam in aliquot titulis obviam, ut ex instituto Romanorum Spartam delato ortam putaram, Syllog. inscript. fasc. V. p. 272.

23 Athen XIII. p. 556. C.

24 V. Bœckhii Prooem. Lect. Berol. a. 1816. p. 5.

Positis his generatim de cœlibum apud Spartanos pœnis, iuvat nunc leges hac de re latas etiam accuratius examinare, duce Aristone Commentariorum scriptore,[25] cuius verba servavit Stobæus:[26] *Σπαρτιατῶν νόμος τάττει ζημίας, τὴν μὲν πρώτην ἀγαμίου· τὴν δευτέραν ὀψιγαμίου· τὴν τρίτην καὶ μεγίστην κακογαμίου.* His adde Pollucem:[27] *ἦσαν δὲ καὶ ἀγαμίου δίκαι πολλαχοῦ, καὶ ὀψιγαμίου, καὶ κακογαμίου ἐν Λακεδαίμοσι.* Similia etiam alio loco Plutarchus.[28] Hesychius: *Ἀγαμίου, ζημία παρὰ Σπαρτιαταῖς.* Producendus denique est Clemens Alexandrinus:[29] *αὐτίκα ὁ Λακώνων νομοθέτης, οὐκ ἀγαμίου μόνον ἐπιτίμιον ἔστησεν, ἀλλὰ μονογαμίου καὶ ὀψογαμίου καὶ μονοδιαιτησίας.* Quo in loco non hæsito quin *κακογαμίου* pro *μονογαμίου* reponendum dicam. Plane enim aliena illa vox a mente Clementis videtur, quum *μονογαμία* opponatur *πολυγαμίᾳ*, quæ Lacedæmone ex lege quidem prohibita, uni Anaxandridæ regi, quum ex uxore, qua uteretur, liberos non susciperet, ab ephoris non solum permissa, immo præter omnem usum imperata fuit.[30] *Μονογαμία* igitur quo nomine Lacedæmone mulctæ obnoxia esse potuerit, haud perspicitur: bene autem habent Clementis verba, simulac *κακογαμίου* ab eo scriptum putaveris.

De *ἀγαμίου* conditione in superioribus dictum est: quæritur nunc primum, *ὀψίγαμος* qui fuerit. In matrimoniis ineundis quum Spartæ id maxime spectaretur, ut liberi validi sanique gignerentur, sapienter Lycurgus egit, quum præciperet, uxores a viris tum potissimum ducendas esse, quum utrique iuventutis robore florerent. Xenophon:[31] *ἔταξεν*, inquit, *ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο σύμφερον τῇ εὐγονίᾳ νομίζων.* An vero lege utrique sexui annnus ætatis præscriptus fuerit, quo potissimum connubia inirent, non traditum, neque probabile est, quum neque mares neque feminæ pro diversa uniuscuiusque natura uno codemque temporis articulo maturescere soleant. Possis quidem ex Plutarchi quodam loco[22] coniicere, certum tempus a Lycurgo præfinitum esse: sed videtur ibi nihil aliud quam illa *σώματος ἀκμή* significari, quam ad certum annum restringui, non invenio memoriæ proditum. Neque hinc mirum, de ætate utriusque sexus matrimonio ineundo apta philosophos et qui præterea hac de re statuerunt, scriptores in diversas adeo discessisse sententias, ut dum adulescenti intra vicesimum annum consuetudinem feminarum interdicendam Pythagorei

25 Idem Aristo esse videtur, quem Plutarchus Themistocl. p. 103. A philosophum vocat, cuiusque auctoritate passim utitur. An idem Ceus ille Aristo sit, de quo Lyzac Lect. Att. 2, 10. p. 150 disseruit, decernere nunc haud vacat.

26 Serm. CLXXXVI. p. 631. ed. Francof. (Serm. LXV. p. 410.)

27 Onom. III, 4, 48.

28 Lysandr. fin.

29 Strom. II. p. 422. D.

50 V. Herodot. V, 39 seq. Pausan. III, 3.

31 De rep. Lac. 1, 6. Adde Plutarch. Lyc. 15. Eandem ætatem etiam Plato commendavit de rep. V. p. 459.

32 Lacon. apophth. T. VI. p. 852: *Ὁρίσαντος δ' αὐτοῦ* (Lycurgi) *καὶ τὸν χρόνον τῶν τε γαμουμένων καὶ τῶν γαμούντων, πρὸς τὸν ζητοῦντα· Ἵν'* (ἔφη) *τὰ γεννώμενα ἰσχυρὰ ᾖ ἐκ τελείων γεννώμενα.*

præciperent,[33] Hesiodusque tricesimum fere annum maribus, feminis decimum quintum ad nubendum præscriberet, Plato[34] contra feminas ante vicesimum annum, Aristoteles[35] ante duodevicesimum ducendas non esse admonuerint, maribus hic annum tricesimum, ille septimum et tricesimum præfiniens.[36] Quæ virorum doctorum placita non pro legibus, sed consilii caussa in formam præceptorum data esse videntur. Nam permulta exempla affatim testantur, tenera admodum ætate contubernio mares et feminas iunctos esse. Sic, ut unum afferam, Ischomacho nupsisse fertur virgo *ἔτη οὔπω πεντεκαίδεκα γεγονυῖα.*[37] Et idem usus, uti constat, in Græcia hodienum servatur. Qui mos Athenis obtinuerit, ex præceptis Solonis disci fortasse poterit, qui hominis vita per decem hebdomadas descripta,[38] maturitatem ad stirpem relinquendam, ut cum Censorino loquar,[39] in quinta hebdomade hoc est intra annum XXVIII et XXXV collocat. En ipsa Solonis verba ex suavissima elegia desumpta:

πέμπτῃ δ' ὥριον ἄνδρα γάμου μεμνημένον εἶναι
καὶ παίδων ζητεῖν εἰσοπίσω γενεήν.[40]

33 Ocellus Lucanus de mundo 4, 12: *διὸ καὶ πρὸς τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν οὕτως ἄγεσθαι χρὴ τὸν παῖδα, ὡς μηδὲ ἐπιζητεῖν πρὸ τῶν εἴκοσιν ἐτῶν τὴν τοιαύτην χρῆσιν, ἀλλὰ καὶ χρησάμενον, σπανίως χρῆσθαι.* Pythagorei enim, ut hoc in transcursu moneam, vitas hominum in certas ætates descripserant, scilicet ad notas diversarum anni partium exactas, teste Ioanne Damasceno, cuius locum ex codice Florentino descriptum ex schedis Wyttenbachii publicavit Mahne de Aristoxeno §. 30. p. 103, unde transcribere iuvat: *Διῄρουν*, ait, *Πυθαγόρειοι τὰς ἡλικίας τῶν ἀνθρώπων εἰς τέσσαρα μέρη, παιδὸς, νέου, νεανίσκου, καὶ γέροντος. καὶ τούτων τῶν ἡλικιῶν ἑκάστην ὁμοίαν ἔφασαν εἶναι ταῖς κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν τῶν ὡρῶν μεταβολαῖς· τὸ μὲν ἔαρ τῷ παιδὶ διδόντες, τὸ δὲ θέρος τῷ νεανίσκῳ, τὸ δὲ φθινόπωρον τῷ ἀνδρὶ, τὸν δὲ χειμῶνα τῷ γέροντι.* Quo loco nemo est, quin *νέου*, ut ex sequenti voce male geminatum, statim delendum et *ἀνδρὸς* post *νεανίσκου* inserendum intelligat.

34 De republ. V. p. 460. *ἔφαμεν γὰρ δὴ ἐξ ἀκμαζόντων δεῖν τὰ ἔκγονα γίγνεσθαι. Ἀληθῆ. Ἆρ' οὖν σοι ξυνδοκεῖ μέτριος χρόνος ἀκμῆς τὰ εἴκοσιν ἔτη γυναικί, ἀνδρὶ δὲ τὰ τριάκοντα; Τὰ ποῖα αὐτῶν, ἔφη. Γυναικὶ μὲν, ἦν δ' ἐγώ, ἀρξαμένῃ ἀπὸ εἰκοσέτιδος μέχρι τεσσαρακοντούτιδος τίκτειν τῇ πόλει, ἀνδρὶ δὲ, ἐπειδὰν τὴν ὀξυτάτην δρόμου ἀκμὴν παρῇ, τὸ ἀπὸ τούτου γεννᾶν τῇ πόλει μέχρι πέντε καὶ πεντηκοντούτους. Ἀμφοτέρων γοῦν, ἔφη, αὕτη ἀκμὴ σώματός τε καὶ φρονήσεως.* Ad quem locum cf. Astium.

35 Polit. VII, 16 (14. p. 251 ed. Göttl.): *διὸ τὰς μὲν ἁρμόττει περὶ τὴν ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν ἡλικίαν συζευγνύναι· τοὺς δ' ἑπτὰ καὶ τριάκοντα, ἢ μικρόν· ἐν τοσούτῳ γὰρ ἀκμάζουσί τε τοῖς σώμασι σύζευξις ἔσται· καὶ πρὸς τὴν παῦλαν τῆς τεκνοποιίας συγκαταβήσεται τοῖς χρόνοις εὐκαίρως.* De ætate *ἀκμῆς* idem similia præcipit Rhetor. II, 14. *ἀκμάζει δὲ*, inquit, *τὸ μὲν σῶμα ἀπὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μέχρι τῶν πέντε καὶ τριάκοντα.*

36 V. Locella ad Xenoph. Eph. init. p. 114. Peerlkamp.

37 V. Xenoph. Oecon. 7, 5.

38 Hanc ætatis descriptionem Solonis spectare videntur illa Aristotelis VII, 14 p. 253 ed. Göttl.: *αὕτη δ' ἐστὶν ἐν τοῖς πλείστοις, ἥνπερ τῶν ποιητῶν τινες εἰρήκασιν οἱ μετροῦντες ταῖς ἑβδομάσι τὴν ἡλικίαν, περὶ τὸν χρόνον τὸν τῶν πεντήκοντα ἐτῶν*, et 15. p. 255: *οἱ γὰρ ταῖς ἑβδομάσι διαιροῦντες τὰς ἡλικίας ὡς ἐπιτολὺ λέγουσιν οὐ καλῶς.*

39 De die nat. 14.

40 Brunck. Gnom. p. 78. Solonis Carm. ed. Bach. p. 66. Apte poeta usus est voce *ὥριος*, de eo sæpe usurpata, qui toro maturus videatur. Hinc formulæ *γάμῳ ὥριος*, (v. Iacobs. ad Anthol. Pal. T. III. p. 258) *ὡραία γάμων*, (v. Pierson. ad Mœr. p. 426). Liban. Orat. p. 17 ed. Reiskiæ: *ὡραία ἀνδρὸς κόρη.*

Ætatem autem, quæ ex Spartanorum institutis matrimonio ineundo apta putata sit, si in re obscura coniecturis uti licet, statuendum est tenerrimam fuisse, qua saltim virgines nubere solitæ sint, si quidem cum Numæ institutis Lycurgea Plutarchus[41] recte comparavit. Ille enim de Numa: *Τῇ δ' ἄλλῃ*, inquit, *τῶν παρθένων ἀγωγῇ καὶ τὰ περὶ τὰς ἐκδόσεις ὁμολογεῖ τοῦ μὲν Λυκούργου πεπείρους καὶ ὀργώσας νυμφεύοντος, ὅπως ἥ τε ὁμιλία, δεομένης ἤδη τῆς φύσεως, χάριτος ᾖ καὶ φιλίας ἀρχὴ μᾶλλον ἢ μίσους, καὶ φόβων παρὰ φύσιν βιαζομένων· καὶ τὰ σώματα ῥώμην ἔχῃ πρὸς τὸ τὰς κυήσεις ἀναφέρειν καὶ τὰς ὠδῖνας, ὡς ἐπ' οὐδὲν ἄλλο γαμουμένων, ἢ τὸ τῆς τεκνώσεως ἔργον· τῶν δὲ Ῥωμαίων δωδεκαετεῖς καὶ νεωτέρας ἐκδιδόντων. οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸ ἦθος καθαρὸν καὶ ἄθικτον ἐπὶ τῷ γαμοῦντι γενέσθαι· δῆλον οὖν, ὅτι τὰ μὲν φυσικώτερον πρὸς τέκνωσιν, τὰ δ' ἠθικώτερον πρὸς συμβίωσιν.* Et quod Plutarchus de Romanorum usu monet, recte habere, permulta docent monumenta sepulcralia, in quibus uxorum adulta vix ætate defunctarum mentio iniicitur. Sic in titulo Græco quodam[42] Papiria Panthea duodecim annorum nupta memoratur. Cæterum in annum nuptiis obeundis a Spartanis præstitutum qui inquisiverit, novi unum Barthelemium,[43] qui tricesimum annum agentes mares, vicesimum feminas ad nubendum admissas esse his de caussis suspicatus est, quod eadem ætas a Platone, quippe qui multas leges a Lycurgo mutuatus sit, definiatur, et quod nemo in concione nisi qui triginta annos natus esset, suffragium ferre potuerit. Sed in his nihil inest quod nos cogat de Plutarchi sententia dubitare, quum præsertim ea, quæ de Romanorum institutis tradiderit, haud ficta esse in comperto habeamus. Aptius fortasse contuleris Cretensium morem, quo iuvenes, ex quo *ἀγέλης* ordine egressi essent, uxorem confestim ducere universi cogebantur:[44] de anno autem ætatis, quo de ephebis excesserint, quamquam nihil traditum noverim, tamen si ab aliarum civitatum institutis coniecturam facere licet in Cretensium rem publicam, tribus quatuorve amplius annos iuvenes gregalibus adscripti vix fuisse videntur, quibus constat septimum et decimum annum agentes additos esse.

Restat ut vocabulo *κακογαμίου* quid Aristo significare voluerit, quæratur. Ut nihil dicam de matrimonio inter consanguineos non faciendo, quod barbarorum esse putabatur,[45] legibus Spartae cautum erat, ne malum iniretur coniugium, quod multifariam fieri poterat. Spe-

Plutarch. Vit. Cleom. 1: *οὐ πάνυ γάμων ὥραν ἔχοντι.* Non differt *ὥριον ἄνθος*, a poetis celebratum: vide Ruhnk. ad H. H. in Cer. 108. Constat *ὥριος* de quavis re præstanti et matura dici, præsertim de frugibus, ut in Leonidæ Epigr. in Huschkii Anal. p. 202. Nonn. Dion. VII, 31. Cf. Coray ad Hippocrat. de aëre, T. II. p. 208.

41 Vit. Num. 4.

42 In Oderici Syll. inscr. p. 369. Alia similia exempla dabunt Fabrettus Inscr. p. 585. No. 96. p. 270. No. 131. p. 271. No. 146. p. 586. No. 185. et 186. p. 325. No. 453. p. 586. No. 182. p. 220. No. 59. Muratorius Thes. p. 1196, 2. Gruterus p. 751, 1. 752, 2. 813, 8. 815, 13. Passerius *Continuazione delle osservazioni sopra i monumenti del Museo Nani*, Sect. 4. p. XXV.

43 *Reisen des Anacharsis*, T. IV. p. 437.

44 V. Strab. X. p. 464. Bas.

45 V. Eurip. Androm. 173. Cf. intpp. ad Nep. Cim. 1.

ctatum in primis esse videtur, ut paribus ætate et forma corporis pares iungerentur, quod disparium matrimonia ad robustam prolem procreandam haud idonea viderentur. Quo in more, harmoniam illam rerum omnium cognoscere licet, cui Dorenses populos sedulo studuisse constat. Quod de forma corporis dixi, egregie confirmatur Archidami regis exemplo, qui quum uxorem pusillam grandis ipse duxisset, ephororum censuram effugere haud potuit. Lepidum est Lacedæmoniorum hanc in rem dictum, a Plutarcho traditum:[46] *οἵτινες Ἀρχίδαμον, τὸν βασιλέα ἑαυτῶν, ἐζημίωσαν χρήμασιν, ὅτι μικρὰν τὸ μέγεθος γυναῖκα γάμῳ λαβεῖν ὑπέμεινεν, ὑπειπόντες, ὡς οὐ βασιλέας, ἀλλὰ βασιλίσκους παρασχεῖν αὐτοῖς διανοῖτο.* Qui locus etiam eam ob caussam notandus videtur, quod hinc liqueat, etiam ære, quod Latinorum sermone *uxorium*[47] recte dixeris, mulctatos esse *κακογάμους*, quod præter Plutarchum nullus, quantum sciam, scriptor annotavit. Deinde cum Græcorum populorum institutis sancitum esset, ut nequis civis peregrinam in matrimonium duceret,[48] hanc legem ad nullam aliam civitatem magis pertinuisse quam ad Lacedæmonem, facile intelligitur. Et quantum ad reges Spartanorum, lege Lycurgi vetitum erat, ne quis peregrinam uxorem duceret.[49] Si quis igitur hanc legem violaverit, sine dubio actionis *κακογαμίου* reus fuerit. Quid, quod tanta adeo Lacedæmonii morum severitate utebantur, ut eos qui in bello ignavi et timidi inventi essent, quique eam ob caussam *Τρέσαντες* ignominioso nomine vulgo notarentur, ab omni consortio coniugali cum civibus ineundo arcerentur.[50] Qua in re illud valde mirum videtur, ignavos, quamquam lege et moribus a iusto connubio cohiberentur, nihilo tamen secius *ἀγαμίου* reos putatos esse:[51] quæ res ita fortasse habebat, ut eiusmodi homunculi lege saltim cogerentur ad uxores ex ignavorum classe ducendas: quod qui non facerent, *ἀγαμίου* pœnis mulctarentur. His denique accedit etiam aliud pravi matrimonii genus, si quis in uxore ducenda virginem divitem bonæ et corpore robustæ prætulerat: quod ipsius coniugii damno fieri iam Ocellus Lucanus conquestus est.[52] Huius rei exemplo sunt Lysandri filiæ, quæ vivo patre quum desponsæ fuissent, mox mortuo patre, quum pauper fuisse inveniretur, a sponsis repudiabantur, nec tamen impune, Plutarcho teste.[53] Eiusmodi vero mala avaritia iustæ pœnæ eo magis obnoxia esse debebat,

46 De liberor. educat. p. 1. Cf. Agesil. p. 596. F.

47 Festus: *Uxorium pependisse dicitur, qui quod uxorem non habuerit, aes populo dedit.*

48 De Atheniensibus cf. Demosth. or. in Neæram. Constat tamen apud eos hanc legem susque deque esse habitam.

49 V. Plutarch. Agid. 11.

50 Id. Agesil. p. 612. E: *οὐ γὰρ μόνον ἀρχῆς ἀπείργοντο πάσης, ἀλλὰ καὶ δοῦναί τινι τούτων γυναῖκα καὶ λαβεῖν, ἄδοξόν ἐστι.*

51 V. Schneider. ad Xenoph. de rep. Lac. 9, 5.

52 De mundo 4, 7. Cf. Plat. legg. VI. p. 773.

53 Vit. Lysandr. fin: *καὶ τοὺς μνηστευσαμένους τὰς θυγατέρας, εἶτα μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ Λυσάνδρου, πένητος εὑρεθέντος, ἀπειπαμένους, ἐζημίωσαν, ὅτι πλούσιον μὲν νομίζοντες ἐθεράπευον, δίκαιον δὲ καὶ χρηστὸν ἐκ τῆς πενίας ἐπιγνόντες, κατέλιπον. ἦν γαρ, ὡς ἔοικεν, ἐν Σπάρτῃ καὶ ἀγαμίου δίκη, καὶ ὀψογαμίου, καὶ κακογαμίου. ταύτῃ δὲ ὑπῆγον μάλιστα τοὺς ἀντὶ τῶν ἀγαθῶν καὶ οἰκείων τοῖς πλουσίοις κηδεύοντας.* Cf. Aelian. V. H. VI, 4.

quo Lycurgi lege constitutum erat, ut virgines sine dote collocarentur. Quærenti enim huius instituti caussam, Lycurgus egregie respondisse fertur: ὅπως μήτε δι' ἔνδειαν ἄγαμοι τινὲς λειφθῶσι, μήτε διὰ περιουσίαν σπουδάζωνται, ἕκαστος δ' εἰς τὸν τρόπον τῆς παιδὸς ἀφορῶν ἀρετῇ τὴν αἵρεσιν ποιῶνται.[54] In ducenda enim uxore Spartæ non spectandum, sponsa an dives egenane esset, modo animi dotibus præstaret et ea corporis conditione uteretur, ut ad prolem robustam edendam idonea videretur. Unde illud Leonidæ:[55] Ἀγαθοῖς γαμεῖσθαι καὶ ἀγαθὰ τίκτειν.

A Spartanis transeo ad Athenienses, apud quos qua conditione contemptores matrimonii usi sint, parum liquet, aquam hoc in loco antiquitatum sibi hærere, ipso Wolfio[56] confitente. Suavissimus autem usus matrimonii, ex quo a Cecrope, ut fertur, Athenis institutus esset,[57] quum summo semper honore et sanctitate coleretur, in promptu est coniectura, haud minori ignominia Athenis quam Spartæ eos affectos fuisse, qui extra matrimonium viverent. Accedebat, quod in coniugio legitimo, ex quo solum civium numerus suppleri et amplificari poterat, ipsa rei publicæ salus posita esset. Dubiæ autem esse quæstionis viris doctis visum est, an legibus et institutis cives Attici ad nuptias iustas compulsi pariter ac Spartani fuerint. Dinarchi enim locum,[58] quem fuerunt olim, qui ad comprobandam rem laudarent, Wolfius l. c. demonstravit alienum ab hac quæstione esse. Speciosa quidem sunt Aristophanis apud Platonem verba:[59] ἐπειδὰν δὲ ἀνδρωθῶσι, παιδεραστοῦσι, καὶ πρὸς γάμους καὶ παιδοποιΐας οὐ προσέχουσι τὸν νοῦν φύσει, ἀλλὰ ὑπὸ τοῦ νόμου ἀναγκάζονται· ἀλλ' ἐξαρκεῖ αὐτοῖς μετ' ἀλλήλων καταζῆν ἀγάμοις. Sed in his universe de amatorum quodam genere dictis patrios mores ab Aristophane tum demum dici potest spectatos esse, quum aliunde constat, in Attica revera adversus matrimonii contemptores lege agi solitum esse. Rem vero conficit Pollux, qui γραφὴν ἀγαμίου inter actiones forenses recenset, ac præterea addit, etiam Lacedæmone locum habuisse actiones ὀψιγαμίου et κακογαμίου,[60] unde simul patet, ex lege quidem Athenis neque malis neque seris matrimoniis interdictum fuisse. Quam actionem nullus dubito quin a Solonis legibus repetendam ducam, quippe in quibus hac de re, ut par erat, præscriptum fuerit, uti testatur Plutarchus:[61] ὅρα περὶ τοὺς γάμους ὅσον ἐστὶν ἐν τοῖς ζώοις τὸ κατὰ φύσιν. πρῶτον οὐκ ἀναμένει νόμους ἀγάμου καὶ ὀψιγάμου, καθάπερ οἱ Λυκούργου πολῖται καὶ Σόλωνος. Hæc etsi sane extra dubium ponunt, a Solone pœnas cœlibibus præstitutas fuisse, tamen non efficiunt, ut quæ hac de re lege instituta essent, tempore progrediente antiquata, tacite denique abolita esse negemus, quum præsertim in animo reputamus, eiusmodi actionis non modo nullam apud

54 Plutarch. Lacon. apophth. T. VI. p. 850.
55 Ibidem p. 840. (p. 225 ed. Frcf.)
56 Ad Plat. Symp. 16. p. 52.
57 V. Athen. III. p. 556. D.
58 Adv. Demosth. p. 51. R.
59 Symp. 16, 4. p. 51. ed. Wolf.
60 Onom. VIII, 40.
61 De amore prolis p. 493. (T. VII. p. 923. Reisk.)

gratores fieri mentionem, verum ne rem quidem, quantumvis sciam, ab ullo scriptore præter laudatos memorari. Videntur igitur Athenienses eos, qui nuptiis contemptis solitariam agerent vitam, commiseratione tanquam *μονοτρόπους*[62] magis quam pœna prosecuti esse: cuiusmodi hominis miserrimi vitam et mores Phrynichus in fabula *Μονοτρόπου* nomine inscripta perstrinxisse videtur, cuius iuvat hoc fragmentum ex ore ipsius *Μονοτρόπου*, ut videtur, in medium proferre:

ὄνομα δέ μου
Μονότροπός ἐστι· ζῶ δὲ Τίμωνος βίον,
ἀπρόσοδον, ἄγαμον, ὀξύθυμον, ἄζυγον,
ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα.

Præterea hoc ipso de nuptiis spretis loco cognoscitur, Atticos mores inter Laconicosque quantum interfuerit. Lacedæmonii enim dum pœnis admodum duris cœlibes mulctarent, contra tanta humanitate Athenienses in eosdem affecti erant, ut cœlibes, dum vivi nuptias impune repudiarant, quum vita decessissent, omnibus matrimonii bonis et iuribus nollent orbatos. Quum enim Athenis moris esset, ut aqua ex fonte Callirhoe hausta ipso nuptiarum die coniuges se lavarent, hac saltim lustratione cœlibes ut ne privarentur, institutum fuit, ut sepulcro eorum signum pueri *λουτροφόρου* imponeretur: quem usum Demosthenes sua adhuc ætate obtinuisse his ipse testatus est:[64] *ἠῤῥώστησεν ὁ Ἀρχιάδης, καὶ τελευτᾷ τὸν βίον ἀπόντος τοῦ Μειδυλλίδου, ἄγαμος ὤν. τί τούτου σημεῖον; λουτροφόρος ἐφέστηκεν ἐπὶ τῷ τοῦ Ἀρχιάδου τάφῳ.* Rem ipsam fusius explanavit Harpocratio v. *Λουτροφορος.* *Ἔθος ἦν*, ait, *τοῖς γαμοῦσι λουτρὰ μεταπέμπεσθαι ἑαυτοῖς κατὰ τὴν τοῦ γάμου ἡμέραν· ἔπεμπον δ' ἐπὶ ταῦτα τὸν ἐγγυτάτω γένους παῖδα ἄῤῥενα, καὶ οὗτοι ἐλουτροφοροῦν. ἔθος δὲ ἦν καὶ τοῖς ἀγάμοις ἀποθανοῦσι λουτροφορεῖν καὶ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐφίστασθαι. τοῦτο δὲ ἦν παῖς ὑδρίαν ἔχων.* [*ἐκ λίθου πεποιημένος*, addit Lexicon in Bekkeri Anecd. I. p. 276.] *λέγει περὶ τούτων Δείναρχος ἔν τε τῷ κατὰ Θεοδότου καὶ ἐν τῇ κατὰ Καλλισθένους εἰσαγγελίᾳ. ὅτι δὲ τὰ λουτρὰ ἐκόμιζον ἐκ τῆς νῦν μὲν Ἐννεακρούνου καλουμένης κρήνης, πρότερον δὲ Καλλιρόης, Πολυστέφανος ἐν τῷ περὶ κρηνῶν φησι. μέμνηνται δὲ τοῦ ἔθους οἱ κωμικοί.*[65] Hydrias vero, quibus utebantur, etiam *λιβύας* appellatas easque colore nigras fuisse, Hesychius tradit v. *λιβύας*, ex quo simul discas, Atheniensibus satis aliquando esse visum, solas hydrias monumentis cœlibum imposuisse.

62 V. Polluc. III, 48. Suidas: *Μονότροπος, μόνος τραφείς, ἀγαθός*, [an forte *ἄγαμος*, quamquam haud aliter Phavor] *ἀγύναιος.*

63 Dedi ex correctione Meinekii Cur. crit. in Comicor. fr. ab Athenæo servata p. 55.

64 Or. ad Leochar. p. 1086.

65 Ad hunc locum adeas Valesii annotata, Photii Lex. v. *λουτρά* et *λουτροφόρος* et Hesych. v. *λουτροφόρος.* Cf. Creuzeri Symbol. T. III. p. 459.

DIEM SACRUM
AB S. LUDOVICI NOMINE
VOCATUM
IN HONOREM
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI
LUDOVICI II
MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM
CIVIBUS
ACADEMIAE LUDOVICIANAE
OMNI QUA PAR EST
OBSERVANTIA ET REVERENTIA
CELEBRANDUM
RECTOR CUM SENATU
INDICIT.

PRAEMISSA EST F. OSANNI H. T. RECTORIS ACAD. P. P. O. DE COELIBUM APUD VETERES POPULOS CONDITIONE COMMENTATIO II.

GISSAE MDCCCXXXX.

TYPIS GEORGII FRIDERICI HEYERI patris.

Prioris commentationis laetissimis olim auspiciis in lucem emissae [1] sub calcem, ubi in enarrandis Atheniensium circa coelibes institutis versabamur, quum demonstratum esset, singulari quadam Atheniensium sive humanitate sive misericordia in morem fuisse receptum, ut coelibum, ne omnibus nuptiarum beneficiis et iuribus plane privati viderentur, sepulchris quippe ad significandum aquae purae lavacrorumque usum in ipsis nuptiis ineundis summa cum religione factitatum [2] puerorum *λουτροφόρων* signa vel certe hydriae colore nigrae imponerentur: antea quam in pertexenda hac tela ultra progrediamur, annotare iuvat, morem illum ad coelibes translatum videri a sepulturae modo, quo qui ante nuptias vita decessissent, honorari apud Atticos solerent. Eustathius [3]: *Τοῖς πρὸ τοῦ γάμου τελευτῶσιν ἡ λουτροφόρος ἐπετίθετο κάλπις, εἰς ἔνδειξιν τοῦ ὅτι ἄλουτος τὰ νυμφικὰ καὶ ἄγονος ἄπεισι.* Cuius instituti haud immemor Otho de Stackelberg [4] de cippo sepulchrali Attico, hydriae imaginem prae se ferente, haec nuper disputavit, hic non praetermittenda: „Marmorstele aus Athen, an welcher eine grosse, üppig mit Blätter- und Perlenzier geschmückte und mit breitem Deckel geschlossene Hydria oder Wasser-

1) Prodiit a. 1827 scripta ad indicenda solemnia nuptialia semisaecularia Ludovici I. et Ludovicae Carolinae Henricae, principum nostrorum nobis universaeque civitati haud multo post fato ereptorum, ab Academiae Ludovicianae civibus rite obeunda.

2) V. Boettigeri Aldobrand. Hochzeit p. 157.

3) In Iliad. ψ, 242. p. 1293. Rom. Similia in Scholiis Victorian. ad Iliad. l. l.

4) Graeber der Hellenen I. p. 38.

gefäss in Relief gebildet ist, vermuthlich nach dem schon gedachten Attischen Gebrauch, Unvermählten das Gefäss mit dem Brautbade, Namens Kalpis, aufs Grab zu setzen, als Zeichen einer Jungfrauengruft."

Iam vero quum quae de coelibatus ignominia hactenus disputavimus, ad ea maxime tempora spectarent, quibus antiqua illa morum castitas tam apud Lacedaemonios quam apud Athenienses salva etiamtum et incorrupta esset: ecce apud hos mutato Alexandri M. aetate ipso rei publicae statu novus quum plane rerum publicarum privatarumque ordo evasisset, factum est ut, luxu iam longo ex tempore gliscente, tandem cum eversa antiqua virtute morumque pristina simplicitate et candore simul matrimonii sanctitas de medio tolleretur atque quod antea honestum et maiorum institutis sancitum, tanquam lege divina hominibus imperatum videbatur, nunc vel derisui esset, vel in desuetudinem abiret. Sic sexus utriusque moribus paulatim depravatis prorsus mutata et coelibum conditio est, quorum nomen quum antea flagitiosum fuisset, nunc in sapientis laude a multitudine ponebatur. Cuius mutationis caussae quum aliae multae fuerunt, quas enarrare huius non est loci, tum immanis mulierum luxuria et depravatio, quarum imperio quum sponte submittere sese viri cunctarentur, tamen mulieribus carere quoniam non poterant, hetaerarum vel adeo meretricum undequacunque Athenas et ubi non confluentium illecebris ad tempus fallendum irretiri malebant. Adde quod matrimonii ineundi necessitatem philosophi utique dissuaserunt, aut prudentissimi viri, quorum maxima in vulgo auctoritas fuit, quotiescunque de uxore vel ducenda vel non ducenda sermo esset, in utramque partem disputarunt, certe in uxore ducenda de summa cautela adhibenda iuvenes admonuerunt. Sed nolo haec longius meis verbis persequi, quae ex ore locupletissimi testis, Theophrasti, libentius excipientur, qui eo fragmento, quod ex eius libro de nuptiis deperdito in linguam Latinam translatum Hieronymus servavit, ipsius aetate, quae aequales hac de re senserint, pereleganter enarravit; quod si nunc hic integrum repetendum curamus, adnotatione quantulacunque nostra instructum, id simul spectavimus, ut occasione oblata uno in conspectu ea omnia simul collocarentur, quae ex illo Theophrasti libello ad nostram usque aetatem pervenerunt. Audiamus igitur Hieronymum hoc modo disserentem [5]:

5) Adversus Iovinianum I, 48. Ceterum non vulgatum contextum Hieronymi hic pono, sed refictum ad normam codicum duorum Parisinorum Regiorum, quorum is quem litt. A signavi, hodie numeratur 1796, olim Tellerianus, saec. IX. scriptus, alter B a me dic-

Fertur aureolus Theophrasti liber de nuptiis, in quo quaerit [6]*, an vir sapiens ducat uxorem: et quum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse* [7] *sanus ac dives, sic sapientem inire aliquando* [8] *matrimonium, statim intulit:*

Haec autem raro in nuptiis [9] *universa concordant. Non est igitur* [10] *uxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiae, nec posse quemquam libris et uxori* [11] *pariter inservire. Multa esse, quae matronarum usibus necessaria sunt* [12]*, pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae, supellex varia, lecticae et esseda* [13] *deaurata. Dein per totas noctes* [14] *garrulae conquestiones* [15]*: Illa ornatior* [16] *procedit in publicum, haec honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem suum* [17] *odium suspicatur. Si doctissimus praeceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxo-*

tus, n. 1797, olim Colbertinus, saec. XII. Horum librorum, quorum notitiam debeo humanitati C. B. Hasii V. C., qui meum in usum eos contulit, tanta visa est ob insignem vetustatem auctoritas, ut piaculum fecissem, si eorum scripturam vulgatae etiam tum postposuissem, quum utram probares lectionem aut parum referre aut dubium videretur. Ubi igitur nihil varietatis a me notatum, Codicum illorum puta te scripturam habere.

6) B *queretur*, h. e. *quaeritur*.

7) B *ipsi*.

8) Vallarsii editio, qua utor, *aliquando inire*.

9) Vall. *in nuptiis raro*.

10) Vall. *ergo*. Repositum tuetur Vincentius quoque Bellovacensis, qui totum hunc Hieronymi locum excerpsit Speculo doctrinali VI, 4, laudatus Schneidero in Theophrasti fragmentis. T. V. p. 221.

11) B *uxore*.

12) Quod scripsimus, praeter Codd. Paris. habet Vincentius quoque, Graeco indicativi usu defendendum. Vall. *sint*.

13) B *essida*. Ceterum de luxu ab Atticis mulierculis in usu vehiculorum facto conferendus Plautus Aul. III, 5, 26, ubi ex mente uxoris bene dotatae proferuntur:

Enim mihi quidem aequumst, purpuram atque aurum dari,
ancillas, mulos, muliones, pedisequos,
salutigerulos, pueros, vehicla, qui vehar,

et mox:

nunc quoquo venias, plus plaustrorum in aedibus
videas, quam ruri, quando ad villam veneris.

Quae sequuntur apud Plautum, ad luxuriam, cui feminae Atticae deditae fuerint, cognoscendam egregie faciunt, eo aptius cum Theophrasti querelis contendenda, quo probabilius eiusdem fere aetatis mores ab utroque describi censeas.

14) Vall. *noctes totas*.

15) Iuvenalis VI, 268:

Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
in quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride peior etc.

16) B *onoratior*.

17) An *sui*?

rem relinquere, nec cum sarcina ire possumus. Pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum. Adde quod [18]) *nulla est uxoris electio, sed qualiscunque obvenerit* [19]), *habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si foetida, quodcunque vitii est, post nuptias discimus* [20]). *Equus, asinus, bos, canis et vilissima mancipia, vestes quoque et lebetes, sedile ligneum, calix et urceolus* [21]) *fictilis probantur prius, et sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur. Attendenda* [22]) *semper eius est facies et pulchritudo laudanda: ne, si alteram aspexeris, se existimet* [23]) *displicere. Vocanda domina, celebrandus natalis* [24]), *iurandum per salutem illius; ut sit superstes* [25]), *optandum* [26]); *honoranda nutrix eius, et gerula* [27]), *et* [28]) *servus paternus* [29]), *et alumnus, et formosus assecla, et procurator calamistratus, et in longam securamque libidinem exectus spado: sub quibus nominibus adulteri delitescunt. Quoscunque illa dilexerit, sint grati, sint amandi* [30]). *Si totam ei* [31]) *domum regendam commiseris, serviendum est: si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit et* [32]) *in odium vertetur* [33]) *ac iurgia: et nisi cito consulueris* [34]), *parabit venena. Anus et aurifices* [35]) *et hariolos et instito-*

18) Schneiderus ex editione, quam expressit, Parisiensi a. 1702 *quoniam*, renuentibus Mss., ut ait Vallarsius. Formula *adde quod*, ut Ovidium mittam, usus est Quintilianus I, 2, 21. X, 1, 33. 2, 11. *Adiice quod* dixit Seneca Epist. 33 et 94.

19) B *venerit*.

20) B *dicimus* et mox *canes*.

21) B *orceolus*.

22) B *Adtendenda est*.

23) A *aestimet*.

24) Ovidius Art. Am. I, 429:

Quid, quasi natali cum poscit munera libo;
et quoties opus est, nascitur ipsa sibi.

25) B *superstitis*.

26) Vincentius *orandum*. B *obtandum*.

27) Notandus hic vocis ut *gerulus* substantivi vice fungentis usus, in Lexicis neglectus. De gerulorum officio cf. Reinesius de aenigmate Patavino p. 26.

28) Copula abest a B et Vallars.

29) Revocavi ex A, B et Vincent. idemque exhiberi omnibus a codd. tradit Vallarsius, ipse nescio qua de caussa *patrinus* suscipiens, Schneidero quoque probatum, praeterea post *servus* male interpungente.

30) Recte sic A solus: vulgo *dilexerit, ingratis amandi*.

31) Inserui hoc loco ex A et B pronomen, vulgo post *regendam* positum, apud Vincent. desideratum omnino. Ceterum de servitute, qua teneantur mariti, audi Ciceronem Parad. V, 2: *An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, iubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit, dandum est: vocat, veniendum: eiicit, abeundum: minatur, exstimescendum. Ego vero non modo servum, sed nequissimum servum* . . .

32) Vulgo *sed:* repositum Vincent. quoque.

33) B *vertitur* et *hac* pro *in* seq.

34) A *consuleris*, B *consolueris*.

35) Vulgo *aruspices*. Cum Parisinis consentiunt Vincentius et, teste Vallarsio, reliqui codices, quos sequendos putavi, etsi non

res [36] *gemmarum sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiae est: si prohibueris* [37], *suspicionis iniuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia* [38], *quum uxor servari* [39] *impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas: et illa vere* [40] *pudica dicenda est, cui licuit peccare, si voluit* [41]. *Pulchra cito adamatur: foeda facile concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant: molestum est possidere, quod nemo habere dignatur* [42]. *Minore* [43] *tamen miseria deformis servatur* [44]. *Nihil tutum est, in quo* [45] *totius* [46] *populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio* [47], *alius facetiis, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo* [48] *expugnatur, quod undique incessitur. Quod si propter dispensationem* [49] *domus et languoris solatia et fugam solitudinis* [50] *ducuntur uxores, multo melius servus fidelis dispensat, obediens auctoritati domini et dispositioni* [51] *eius obtemperans, quam uxor: quae in eo se existimat* [52] *dominam, si adversum* [53] *viri faciat voluntatem, id est* [54], *quod placet, non quod iubetur. Assidere autem aegrotanti magis possunt amici et vernulae beneficiis obligati quam illa quae nobis imputet* [55] *lachrymas suas, et he-*

commoda haec aurificum mentio inter anus, puta magas, et hariolos. Aurifices inter eos opifices memorantur in Plaut. Aul. III, 5, 34, quibus matronae in perniciem rerum domesticarum abutantur.

36) A et B *institutores.* Ovidius Art. Am. I, 421:

Institor ad dominam veniet discinctus emacem:
expediet merces teque sedente suas.

37) A *prohibuerit* et dein *suspicationis,* quam vocem novam me reperisse memini etiam in Terentii Cod. Berolinensi Regio quodam (tres enim ibi huius Comici Mss. olim vidi et contuli) Hecyrae V, 2, versu 26, statim post vs. 17 posito, mala licet ex correctione lectionis *suspicionis* unice genuinae.

38) B *custodiat.*

39) Addit A *etiam,* quod alienum, nisi in Graeco exemplari aliquid fuerit, quod Hieronymus non recte reddidit.

40) B *vera,* Vincentius *vero.*

41) B *voluerit.*

42) Sic B et Vincent. Vulgatam *dignetur* A servat.

43) B *a minore.*

44) A *servet.*

45) Vulgo *quod.* Repositum tuetur Vincentius quoque, quod unice verum. V. Ovid. Fast. I, 417: *sola suspirat in illa.* Adde Catull. Epithal. 100.

46) B *citius.*

47) A *alius, alius ingenio:* ut post prius *alius* aliquid omissum esse suspiceris, nisi *alius* ex prava dittographia ortum.

48) Vulgo additur *vel aliquando,* quod cum Parisiensibus, Vincentio et aliis duobus codd., quos laudat Vallarsius, induxi.

49) B *dispensatione.*

50) B *sollicitudinis.*

51) Recte sic Vallars. e codd., quibuscum faciunt A (hic *dispositionis*) B et Vincent. Vulgo *dispensationi.*

52) A et B *aestimat.*

53) B et Vincent. *adversus.*

54) B *idem.*

55) Vulgo *imputat* et mox *vendit.* Coniunctivum uterque Paris. cum Vincentio, prae-

reditatis spe vendat illuviem; et sollicitudinem iactans languentis animum desperatione [56]) *conturbet* [57]). *Quid, si* [58]) *languerit, coaegrotandum* [59]) *est, et numquam ab eius lectulo recedendum. Aut, si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen rara avis* [60]) *est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Sapiens autem numquam esse solus* [61]) *potest: habet secum omnes, qui sunt quique* [62]) *umquam fuerunt boni, et animum liberum quocunque vult transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur: et si hominum inopia fuerit, loquitur* [63]) *cum deo. Numquam minus solus erit, quam quum solus fuerit. Porro liberorum causa uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis praesidia et certis utamur heredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes e* [64]) *mundo, si nomine nostro alius non vocetur* [65]), *quum et filius non* [66]) *statim patris vocabulum referat* [67]), *et innumerabiles sint, qui eodem appellantur* [68]) *nomine. Aut quae senectutis auxilia sunt, nutrire* [69]) *domi, qui aut* [70]) *prior te forte moriatur, aut perversis moribus sit* [71])? *aut certe, quum ad maturam aetatem venerit* [72]), *tarde ei videaris mori? Heredes autem meliores*

terea *ingluviem* servante. Vallarsius affert e libris lectiones *imputet* et *vendas*.

56) Abest a Vincent.

57) Vulgo *conturbat*. Illud Vincent. quoque.

58) Sic B et statim *egrotarit* pro *languerit*. Vulgo *quod si*, pone quae quod vulgo additur *ipsa*, Parisienses et Vincent. secutus delevi.

59) B *quod aegrotandum* pro *coaegr.*

60) Vulgatam servavi, invitis A et B, quorum ille *rara visa:* hic *rara aut vas*, unde prodiisse suspicor, quod apud Abaelardum, qui teste Vallarsio locum laudat, scriptum exstat *quae rara, aut vix est.* Etenim fundus illius dictionis notissimus ille Iuvenalis locus est, VI, 165:

Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
porticibus disponat avos, intactior omni
crinibus effusis bellum dirimente Sabina:
Rara avis in terris nigroque simillima cycno.

Et *rara avis* dixerat iam Persius I, 46 de rara aliqua re. Cf. Erasmi Adag. II, 20.

61) Vulgo *solus esse.*

62) Vulgo *qui.* Vincentius *quicunque* pro *qui unquam.*

63) *B loquetur*, haud male.

64) B *et.*

65) Sic B et Vincent. et Mss. Vallarsii. A cum vulgata *nominetur*, sine negatione.

66) B *nos.*

67) Respicit Theophrastus eum Graecorum morem, quo patris nomine non filius sed nepos demum plerumque appellari solebat: de quo nuper monitum in Expedition scientifique dans la Morée T. I. p. 45. Quem tamen usum non constanter observatum esse, multis potest exemplis demonstrari.

68) Vulgo *appellentur.* Illud B et Vincent.

69) Vulgo *enutrire.* Illud Vincent. quoque.

70) B *ut*, omissis verbis mox sequentibus *aut perversis moribus sit.*

71) Vulgo *aut perversissimis sit moribus.* Repositum Vincentius quoque.

72) Cod. Casanatensis *veneris*, quod fortasse praestat vulgata.

et certiores sunt [73] *amici et propinqui, quos iudicio eligas* [74], *quam quos velis nolis habere cogaris: licet certior* [75] *hereditas sit, dum advivis* [76], *bene abuti* [77] *substantia tua, quam tuo labore quaesita in incertos usus relinquere.*

Sed hactenus quae Hieronymus ex Theophrasti libello servavit, quibus alia duo fragmenta eodem certe iure accenseri possunt, quo Schneiderus ea ex Theophrasti libris *περὶ νόμων* sumpta esse statuit [78]. Quorum unum retulit Plutarchus [79]:

Ὡς ὁ Θεόφραστος ἱστορεῖ, τὸν Ἀρχίδαμον ἐζημίωσαν οἱ ἔφοροι γήμαντα γυναῖκα μικράν· οὐ γὰρ βασιλεῖς, ἔφασαν, ἅμμιν, ἀλλὰ βασιλείδια γεννάσει.

Alterum Stobaeus, praefixo Theophrasti nomine [80]:

Οὐ χρὴ δὲ τὴν γυναῖκα δεινὴν ἐν τοῖς πολιτικοῖς, ἀλλ' ἐν τοῖς οἰκονομικοῖς εἶναι.

Certior vero eiusdem libri Theophrastei mentio fit in Epistola vulgo Hieronymo, ab aliis Valerio nescio cuidam tributa, Rufinum, ad quem scripta est, *ne ducat uxorem*, adhortante [81], cuius ad finem haec leguntur: *Sed ne longo te dispendio suspendam, ut maiori testimonio mihi fides adhibeatur, lege aureolum Theophrasti et Medeam Iasonis* [alii *Nasonis*], *et vix pauca invenies impossibilia mulieri.* Haec verba cum iis, quae germanus Hieronymus Theophrasti fragmento praeponit, comparanti dubium esse non potest, Theophrastei libelli quidquid novit auctor Epistolae, quin id acceptum ferat totum quantum Hieronymo, quum praesertim ea pars libelli, quam excerpsit Hieronymus, nihil aliud contineat, quam quod ad dissuadendas nuptias facere possit. Praeterea haec Epistola ab iis, quae Hieronymus libro ad Iovinianum primo de tuenda et commendanda pudicitia exposuit, sive exempla allata sive sententiarum vim spectes, ita tota pendet, ut neminem latere possit, auctorem eius ex Hieronymo tantum non omnia mutuatum esse [82], ita ut hoc ex fonte nihil redundet, quod non ex ipso Hieronymo et uberius et limpidius

73) Vulgo *amici sunt.*
74) Sic A et Vincent. B *eligis*. Vulgo *deligas.*
75) Miro consensu A, B et Vincent. *certa*
76) A *advisis.*
77) Vincent. *uti.*
78) Opp. Theophr. T. V. p. 205 et 210.
79) Vita Agesilai 2. Cf. Comm. I. p. 11.
80) Serm. 83. p. 485.
81) Hieronymi Opp. ed. Vallarsii T. XI, 2, p. 337.
82) De auctoris aetate et nomine non liquet, quum an Rufinus ille idem sit cum episcopo Aquileiensi notissimo certum non sit, quamvis probabile videtur, et quum in ipso auctoris nomine indicando codices dissentiant, modo Valerium, modo Valerianum, vel etiam ipsum Hieronymum, quod plane

hauriri queat. Neque novam Theophrastei libelli materiam lucrabimur ex codice aliquo Neapolitano, quo ille servari narratur, quum certissima sit coniectura, nihil aliud eo quam aut fragmentum illud ab Hieronymo Latine factum aut singulas ex eo collectas sententias contineri. Audiamus enim qui huius codicis notitiam dedit, Ianellium [83]) ita disserentem: „In paginas postremas coniectae quaedam animadversiones et sententiae de non ducenda uxore, quae sumptae dicuntur ex libro quodam Theophrasti de ista re. Titulus: *Theophrasti clarissimi libellus perutilis: An sit a sapiente uxor ducenda.*"

Theophrasti vero libellum in locupletissimo eius scriptorum indice apud Diogenem Laertium quum viderem omissum, aliquandiu haesitavi, annon pro parte alius operis deperditi habendus esset et eroticorum librorum fortassis unus, quorum numero plures Diogenes commemorat [84]). Sed scriptorem hunc apud omnes iam constat in enarrandis singulis philosophorum scriptis diligentissimum haud quaquam fuisse, quippe qui vel alia plane silentio premat, alia singulatim nominet, quae unius eiusdemque operis particulae esse videantur. Praeterea ut singularem fuisse libellum credam, adducor non solum ea ratione, qua Hieronymus laudat, sed quod idem paullo infra c. 49. Aristotelem quoque de matrimonio librum edidisse tradit, apud Diogenem cum aliis aliunde cognitis pariter desideratum: quorum de cognominum librorum ratione quomodocunque statuas, Aristotelis si quidem talem librum exstitisse constat, eo maior fides Hieronymi testimonio tribuenda, quo saepius Theophrastus ar-

absurdum, nuncupantes. In cod. Neapolitano, ut testatur Ianellius Catal. Bibl. Lat. Mss. Mus. Borb. p. 113, opusculum inscribitur: „Epistola Beati Hieronymi ad Ruphinum ne ducat uxorem: seu Valerii." Cf. quae monuimus Ephem. litt. Halens. 1837. Suppl. 13. p. 103. Haud minus absurda eorum sententia, qui Epistolam illam vel Valerio Maximo tribuant, vel Valerii nominis originem ex Valerii Maximi imitatione quadam, qua auctor similem dictorum factorumque memorabilium farraginem contexuerit, repetendam ducant. Huic sententiae codices duo Vindobonenses quando quidem ita favent, ut Valerii Maximi nomen, teste Endlichero Catal. Mss. Lat. Bibl. Vindob. p. 84, ea epistola adeo in fronte ferat, horum codicum ipsa conditio originem falsae inscriptionis patefacere videtur. Quum in utroque enim praecedat germanum Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium opus, epistola illa vel casu vel consilio huic addita, facile intelligitur qui factum sit ut eidem auctori, cuius scripta praemittebantur, tribueretur. Sic iam accidit, ut adeo de nomine auctoris haereamus, quum et *Valeriani* dubium sit. De patria vero si quaeris, perplexum sermonis tumorum miramque elocutionis obscuritatem quum considero, fallor aut Afrum hominem mihi videor cognoscere.

83) L. l. p. 210.

84) V. Schneideri Theophr. T. V. p. 198 et 293.

gumentum a magistro scriptis illustratum libro pariter inscripto retractasse videatur, quod, ut exemplum non longius arcessam, in Erotica supra memorata cadit. Ceterum non nego quaeri posse, annon Aristotelis liber *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός*, qui memoratur eius inter scripta ab anonymo auctore vitae Aristotelis [85]), ille ipse Hieronymo laudatus sit libellus. Hieronymo autem si fides habenda est, nec cur eam ei derogemus caussam novi ullam, Theophrastei libri *περὶ γάμου* summa eo vertebatur, sapienti an uxor ducenda esset. Quam quaestionem et ante et post Theophrastum utramque in partem saepe a veteribus illustratam esse, eo minus mirandum, quo magis ipsae de conditione coelibum sententiae clarissimorum virorum in contrarias irent partes. Etenim Bias a quodam rogatus, deberetne uxorem ducere, an vitam vivere coelibem, respondisse fertur: *ἤτοι καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν· καὶ εἰ καλήν, ἕξεις κοινήν· εἰ δὲ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν· ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθόν· οὐ ληπτέον ἄρα* [86]). Aliam rationem secutus Cicero est, qui, ut Hieronymi utar verbis [87]), rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiae sororem eius duceret, omnino facere supersedit dicens, non posse se uxori et philosophiae pariter operam dare. Similia censuisse Democritum et Epicurum (hunc, ob multa, ut ait Hieronymus paullo infra, nuptiis admixta incommoda) [88]) tradit Clemens Alexandrinus, quo teste contra in bonis connubia retulerunt Peripatetici, tum ob perpetuitatem generis humani necessaria Plato existimavit [89]), coelibes praeterea lege obstringi iubens, *τροφὴν γυναικὸς ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον καὶ τὰς καθηκούσας δαπάνας ἀποδιδόναι τοῖς ἄρχουσιν· εἰ γὰρ μὴ γήμαντες οὐ παιδοποιήσονται τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀνδρῶν σπάνιν ποιήσουσι καὶ καταλύσουσι τάς τε πόλεις καὶ τὸν κόσμον τὸν ἐκ τούτων* [90]). Chrysippus vero, Hieronymo

85) Aristot. ed. Buhle T. I. p. 66. Quod nuper eo de argumento innotuit cura Boissonadii Anecd. Graec. T. III. p. 467. Aristotelis apophthegma, id si modo Aristotelis est, facete potius quam ex animi sententia ab eo dictum crediderim: *Ἀριστοτέλης ἐρωτηθεὶς, διὰ τί, μέγας ὤν, γυναῖκα μικρὰν ἔλαβεν, εἶπεν: Ἔδει με, τῶν κακῶν ἐκλογὴν ποιούμενον, τὸ ἔλαττον λαβεῖν.*

86) Gell. V, 11. Bioni hoc dictum tribuit Diogenes Laert.

87) Adv. Iovinian. I, 48. Hinc profecit Valerius ille vel quisquis Epistolae ad Rufinum scriptae auctor est, quae fertur in Hieronymi Opp. ed. Vallarsii T. XI, 2, p. 333.

88) Ab huius tamen partibus defecisse videtur Philodemus Epicureus, qui de vitiis et virtutibus 3. p. 42. ed. Goettling. sapientem certe uxorem laudibus multis extollit.

89) Strom. II. p. 221. Sylb. quo loco iam usi sumus Comm. I. p. 5.

90) Ibid. p. 223. Cf. Polyb. in Maii Excerptis Vatic. p. 451. Theodorus Prodromus Amaranto p. 461. seq., ubi, quod obiter moneo, reponendum sine haesitatione fuerat *τὸν Ἐμπεδοκλῆ μετὰ τοῦ νείκους* (vulg. *τοῦ ἀεικοῦς*), item mox *οὐδὲ γὰρ τὸ νεῖκος αὐτῷ φιλίᾳ πῶς ἐνόησαν*, ubi editum *οὐδὲ γὰρ τὸν εἰκός αὐτὸ φιλίαν* etc.

qui affert ridente, ducendam uxorem sapienti praecipit, ne Iovem Gamelium et Genethlium violet. Sed Theophrastus, ad quem redeo, quum quaestionem illam cum aliis Peripateticis [91]) affirmandam censeret, Aristotelis, ut videtur, hac de re placita [92]) secutus, ea lege, ut addit Hieronymus, sententiam suam coercuit, ut virum sapientem aliquando matrimonium inire posse diceret, si pulchra esset, si bene morata, si honesta parentibus, si ipse sanus ac dives. Quae iam ex eius libro de nuptiis Hieronymo duce supra in medium protulimus, quum ita comparata sint, ut sapienti matrimonium ineundum magis dissuadeant quam commendent, ea ex adversarii persona dicta videntur, pericula et calamitates, quibus marito conflictandum sit, matrimonii laudatori quippe opponentis. Huius enim verba probabile est sermoni personae contrariam sententiam sustinentis, quippe sapienti quando et qualem uxorem ducere conveniret, eo consilio subiecta esse, ut, argumento quasi in modum ἀντιλογίας disposito, rei omnino quid esset in utramque partem explanaretur et sic cuilibet res ad optandum in medio relinqueretur. Quae argumenti tractatio quum fere accedat ad genus dramaticum, tum imaginem morum tam egregie adumbratam exhibet, ut facile intelligatur qui factum sit, ut ex Theophrasto, cuius discipulus fuisse fertur [93]), Menander Comicus profecisse dicatur, quem in moribus hominum ad naturam et seculi ingenium describendis inter aequales palmam tulisse omnium suffragio constat. Theophrasto quidem, ut Meinekii [94]) utar verbis, virtutum vitiorumque notatori acutissimo, hoc potissimum acceptum tulisse Menandrum crediderim, ut philosophia duce in intimos animi humani recessus penetraret et varia hominum ingenia et χαρακτῆρας, remotis simulationum involucris, admirabili artificio pingeret. Atque in ipsis Menandreis, quae aetatem tulerunt, fragmentis insunt nonnulla, quibus mariti de matrimonii molestiis et calamitatibus deque superbia uxorum vix ferenda conquerentes introducuntur, ut in Plocio fabula [95]), quibus praefulsisse fere dicas quae in fragmento Theophrasteo leguntur. Quod cave tamen eo sensu dictum accipias, ut in aliena incidisse vineta Menander arguatur, qui disciplina quidem Theophrasti aliorumque institutus, ingenio ipse suo, quo contentus esse poterat, quod ab aliis accepit, suum facere didicit.

91) Demetrium Phalereum περὶ γάμου scripsise testatur Diogenes Laert. V, 81.

92) V. Comm. I. p. 5. Goettling. ad Aristot. Oecon. p. XV.

93) Diog. Laert. V, 36.

94) Menandr. Reliq. p. XXVI.

95) Huius comoediae fragmenta nuper examinavit Spengel. ad Caecil. Stat. Fr. p. 37. seq.

Ceterum vix quemquam latebit, quanta in toto hoc morum describendorum genere affinitas intercedat huius libelli fragmentum inter et Characteres illos Theophrasti nomine inscriptos, ita ut si de nuptiis liber recte Theophrasto tribuitur, hac certe ex parte nihil obstet, quo minus et Characteres illos a Theophrasto proficisci potuisse statuamus. Certe comparato de nuptiis fragmento adiuvamur mirifice ad repellenda ea argumenta, quae nuperrime ad fidem Characterum labefactandam in medium prolata sunt; in quo labore per hanc occasionem ultro oblatam nunc profligando id equidem non ago, ut totam illam litem de auctore Characterum motam retractem et componere studeam. Res mihi solum est cum Leonh. Spengelio, qui in Panegyri philologorum Germanicorum Norimbergae duobus abhinc annis habita quum de Voluminibus Herculanensibus verba faceret, etiam de horum Characterum fide et auctoritate sententiam tulit, cuius summa fere haec est: ideo videri illum libellum ingenio Theophrasti indignum, quod is, postquam ipsa in philosophia tam praeclara praestitisset, nunc, quum nonagesimum aetatis annum attigisset, numquam tam stolidus fuisset, ut proponendis eiusmodi vitiorum imaginibus vel hominum mores emendari vel philosophiam adiuvari eiusque partem ethicam reformari ullo potuisse modo sibi informaret [96]). Ut facile concedamus, errorem videri ingenio Theophrasti indignum, edito illo libello, quod modo dictum, praestitum iri putantis: tamen eo consilio vulgatum hunc libellum esse, id quo totius argumentationis summa *nititur*, *tantum abest*, *ut* vel a Spengelio demonstratum sit vel ab alio ullo demonstrari possit, ut ex ipso libello alia auctorem eius spectasse facile probetur. Is enim prooemio his verbis quem finem habuerit, exposuit: *Ἐγὼ γάρ, ὦ Πολύκλεις, συνθεωρήσας ἐκ πολλοῦ χρόνου τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, καὶ βεβιωκὼς ἔτη ἐννενήκοντα ἐννέα, ἔτι δὲ ὡμιληκὼς πολ-*

96) Quod paucis hic comprehendo, auctor acutissimus fusius his declaravit verbis, qualia redduntur in Verhandlungen der ersten Versammlung deutscher Philologen, Norimbergae 1838. p. 17: „Meines Erachtens hat man den Werth der Theophrastischen Charaktere, über welche noch in neuerer Zeit vielfach geurtheilt worden, etwas zu hoch angeschlagen; dass der Zweck wirklich gewesen, zur Besserung des ethischen Lebens beizutragen, nicht etwa Lebensbilder humoristischer Art zu liefern, — und an solchen Zügen fehlt es allerdings nicht — sehen wir auch aus Philodemus; es ist die praktische Philosophie der Alten. Zu glauben aber, dass durch Aufzählung einzelner solcher Züge, die sich immer mehren lassen, für Philosophie, wie für das Leben etwas Erspiessliches erzweckt werde, konnte dem Theophrastus so wenig als dem Aristoteles selbst in den Sinn kommen. Die Nachfolger der philosophischen Schulen waren selten fähig, im Geiste ihrer Stifter fort zu arbeiten; daher ihr allmähliger Verfall; und so ist auch hier nicht ein Fortschritt, sondern ein Rückschritt. Statt die ethische Philosophie wei-

λαῖς τε καὶ παντοδαπαῖς φύσεσι, καὶ παρατεθεαμένος ἐξ ἀκριβείας πολλῆς τούς τε ἀγαθοὺς τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς φαύλους, ὑπέλαβον δεῖν συγγράψαι ἃ ἑκάτεροι αὐτῶν ἐπιτηδεύουσιν ἐν τῷ βίῳ. Ἐκθήσω δέ σοι κατὰ γένος ὅσα τε τυγχάνει γένη τρόπων, τούτοις προσκείμενα καὶ ὃν τρόπον τῇ οἰκονομίᾳ χρῶνται. Ὑπολαμβάνω γάρ, ὦ Πολύκλεις, τοὺς υἱεῖς ἡμῶν βελτίους ἔσεσθαι, καταλειφθέντων αὐτοῖς ὑπομνημάτων τοιούτων, οἷς παραδείγμασι χρώμενοι αἱρήσονται τοῖς εὐσχημονεστάτοις συνεῖναί τε καὶ ὁμιλεῖν, ὅπως μὴ καταδεέστεροι ὦσιν αὐτῶν. Vides nihil omnino in his inesse, quod ad ullam philosophiae partem explicandam aliquo modo tendat, dum contra nihil aliud agi videatur, quam ut vitiorum sic notatorum exemplis iuventuti norma ad vitam recte instituendam proponatur. Philosophicorum igitur scriptorum ex classe quandoquidem hic libellus omnino eximendus est, eo aptius is Theophrasto tribui posse videbitur, quo philosophiae partem moralem digna philosopho ratione in libris Ethicorum hodie perditis eum pertractasse certius constiterit, quorum non sola mentio apud Diogenem Laertium fit, sed quorum adeo fragmenta quaedam aetatem tulerunt [97]). Nullam equidem iam perspicio caussam, cur Theophrasto non licuerit idem facere, quod alii nullo non tempore nec sine fructu fecerunt, ut populari morum notatione vel vitiorum vel virtutum exempla imaginum instar ob oculos iuventuti ponerent: quod ab aevo Theophrasteo tanto minus abhorruisse videtur, quo certius et alios Peripateticos aequales, ut Dicaearchum, Theophrasti familiarem, philosophiae proprie dictae practicam illam partem adiunxisse in comperto habeamus. Ex quo genere scriptorum vulgi potius in usum editorum quum alii multi fuisse videntur Theophrasti libri, tum ille ipse de nuptiis fuit. Adde quod ea ipsa aetate, qua Theophrastus vixit, populares eius morum certorum imaginibus in scena exhibitis mirum quantum delectati fuere, quibus quum multis nominibus Characteres Theophrasti, argumenta si quidem

ter in das Innere zu führen, hat man sich blos an das Aeussere, an die Erscheinung gehalten. Diess ist denn für mich ein Hauptgrund, warum ich Bedenken trage, diese Charaktere für das Produkt des Theophrasts zu halten, wiewohl sie aus der Peripatetischen Schule hervorgegangen sein mögen. Theophrast hatte nicht den Geist des Aristoteles, aber arbeitete noch immer in dessen Geiste fort; wie konnte nun er in seinem 90. Jahre (wie die Einleitung zeigt), nachdem er so viel Speculatives geleistet, von der Aufzählung solcher menschlicher Gebrechen und einzelner Züge, wie sie jeder Tag zum Vorschein bringt, eine Reformation auf dem sittlichen Gebiete erwarten? Man lese die Nicomachische Ethik und man wird gestehen, dass Theophrast, wenn er so urtheilte, gewiss unfähig war, des Aristoteles Nachfolger im Lyceum zu werden.“

97) Diog. L. V, 47. Aspasii Schol. in Aristot. Ethic. in Classical Journal Vol. XXIX. p. 114 et 115.

spectantur, persimiles esse videantur, exstiterunt adeo qui notationes illas morum Theophrasteas ad personarum in fabulis comoediae Graecorum novae propositarum imagines non a Theophrasto quidem, sed a nescio quo docto homine aetate recentiore, licet imperatorum Romanorum tempora non superante, adumbratas esse censerent: quae et Valckenaerii et Porsoni fuit de origine Characterum Theophrasteorum sententia [98]).

* * *

Quod in votis habebamus summis, ut revoluto hocce die sacro, quo in annorum decursu neque sanctior ullus neque exoptatior nobis venit, copia nobis daretur, intimos animorum nostrorum sensus erga Patrem patriae ex loco et talium solemnium gravitate et nostra erga optimum Principem reverentia digno palam ante oculos omnium declarandi, id aula academica in ipsis veteris collapsae ruderibus exstrui quidem iamiam coepta, sed adhuc non perfecta horno quominus effectum daremus, praeter exspectationem nostrum omnium praepediti, facimus nunc id quod res fert et quo voluntatem nostram, quacunque temporis oblata opportunitate Principi optimo observantiam nostram et obsequium testificandi, patefacere omnibus licet. Igitur dum quod ardenter nunc concupiscimus et ratum instanti anno fore confidenter speramus, ut palatio illo tum perfecto, sacrorum horum gravitatem iusta qua decet moreque maiorum instituta gratiarum actione prosequi nobis liceat, interim per hanc litterarum publicarum opportunitatem non solum civium nostrorum ut unus pro se quisque, quid in votis habeat susceptum, Numini supremo committat exhortamur, sed etiam universi coniunctis Universitatis huius totius precibus Deum O. M. obtestamur, ut quae pro salute **LUDOVICI II**, domini nostri serenissimi et clementissimi, quem nostrarum rerum in primis patronum et fautorem veneramur et suspicimus, et pro incolumitate Ludovici, Principis celsissimi, in quo heredem Paterni non solum nominis, sed etiam virtutum eximiarum dignissimum admiramur, universaeque denique Domus augustae pia vota non hoc solum die sacro sed quovis temporis momento suscipimus, rata faciat et firma. Atque fortunis familiae Principum nostrorum augustissimae, cuius in sempiterna incolumitate totius patriae spem et secu-

98) V. Sinner Ueber das Leben und Schriften des Diamant Coray, übers. von Ott. Turici 1837. p. 20.

[illegible] animus, Numen divinum perpetuo favore et [illegible] innotuit documento splendidissimo, quum civium nullus [illegible] NICOLAI Russorum imperatoris potentissimi filio [illegible] augustissimo MARIAM filiam suam dilectissimam Pater augustissimus [illegible] desponderet, Deum O. M. praesentem adfuisse non persentiret neque Principi nostro optimo tantum, sed sibimet quisque nostrum ipsi, tanquam novo et universorum et singulorum praesidio parto, ex intimo pectore congratularetur. Itaque insigni hoc providentiae divinae documento freti, spem fovemus certissimam fore, ut quae etiam his in solemnibus nostrum unus quisque pro sempiterna LUDOVICI II universaeque EIVS Domus celsissimae salute precatus sit, ea Deo adiuvante bene prospereque ex animo cuiusque sint cessura. Nobis vero inprimis adlaborandum, ut ipsi, quantum in uno quoque nostrum virium est, tanta felicitate haud indigni videamur eamque in communem omnium prosperitatem recte convertere discamus.
